

Ye
3693

X2001667

Ye 3693
AK

Carmina Gratulatoria
IN HONOREM PI-
ETATE, ERVDITIONE,
ET MORVM INTEGRITATE PRAE-
STANTIS, D: VRBANI HERVVEGII
 SPANDAVIENSIS, cum eia Clarif-
 simo viro, M. MATTHAEO BLOC-
 HINGERO, Professore Publico, et
 Collegij Philosophici Decano, in-
 signia artium liberalium Ma-
 gistri, in inclyta Acade-
 mia VVitebergenfi
 decernerentur, G.
 Id: Martij.
 1569.
 SCRIPTA AB AMICIS.



VITEBERGÆ
 Excudebat Iohannes Crato
 ANNO M. D. LXIX.

1914 5 288

R 1914. 2468

*Invensis in unum Homine
 Grammatica Goslariensi amro
 suo singulari de Samburg
 Calloniis in sui memoria.
 Vind. 20. 59. 3 id. May*





ELEGIA
GRATVLATORIA. M. VR-
BANO HERVVEGIO SPANDA-
uiensi, amico & contubernali suo cha-
rissimo, Scripta A

LAMBERTO CALLENIO BARDEVICENSI,

Inter Echionidum & diuæ Tritonidis urbem
Phocidis est trifida pingue feraxq; solum.
Hic mons verticibus petit arduus astra duobus,
Vsq; eadeo vt nubes tangere posse putes:
Parnassum veteres quem dicunt nomine vates,
Et Phœbo, & Musis, Aemonioq; sacrum.
Fons ibi Castalius nitidis argenteus vndis
sacratam vena diuite fundit aquam.
Hic habitant, vatam præsentia numina Musæ,
A Ioue Dictæo Mnemosineq; sacæ,
Quæ sua dona ferunt, lactisq; alimenta ministrant
His, quorum est studijs vita dicata sacris.
Et, si vera canunt multorum carmina vatam,
Quos veluti Sacros plebs studiosa colit,
Nemo hominum ingenuas feliciter imbibit artes,
Nec quisquam docti nomine dignus erit:
Qui sit Apollineis non enutritus in antris,
Nec de Castalijs fontibus hausit aquam.
Huc igitur tendunt, hæcq; ad Sacraria currunt
Et properant, freno non remorante pedes,
Quos cum laude iuuat doctas volitare per artes,
Et mentem veris condecorare bonis.
Vnde sibi ducant titulos ac artis honores,
Et nomen quod sit post pia Fata super.
Sed quia spinetis mons vndiq; cinctus acutis,
Ac ferme attingens sidera summa Poli,
Difficilem angustamq; viam scandentibus offert,
Longumq; Herculei penè laboris iter:

A ij

Vix

Vix quisquam inueniet multis è millibus vnum,
Vsq; adeo duram qui velit ire viam.
Multi etiam ingressi, mox primo in limine cessant,
Nolentes tanti ferre laboris onus.
Et pulchris malunt prorsus desistere cœptis,
Quam sic difficilem continuare viam.
Quisquis at hos tantos, infracta mente, labores
Sustinet, ac longæ multa pericla viæ,
Sudandoq; sacras, virtutis amore, Camœnas
Querit, & Aoniæ docta Lycæa scholæ,
Donec ad optatam vigilanti pectore metam
Perueniat: Precium grande laboris habet.
Præbet ei placidam quia Cynthius ipse quietem,
Membræq; Castalio fonte lauare finit.
Nec non virginea redimitum tempora lauro,
Condecorat veris dotibus ingenij.
Insuper eximijs ipsum quoq; honoribus ornat,
Vt clarus volitet docta per ora virum.
Forte sed hæc, aliquis, sunt fabula, dicet, inanis,
Quam docet à vero gens aliena Deo.
Sint partim figmenta licet, vel fabula vatum,
Quæ de Pierio Numine multa docent:
Ingeniosa tamen, veriq; simillima dices,
Ni sacra Musarum spernere castra velis.
Namq; docent ficta sub imagine multa Poetæ,
Et velut in speculo plurima sæpe monent.
Sic etiam his voluit, multum veneranda vetustas
Sub ficto nobis significare tropo,
Vera quod è cælo sapientia manet, & omnis
Doctrina æterno sit tribuenda Deo,
Quo sine nil vnquam propria quis proficit arte,
Et labor omnino noster inanis erit.
Hnde quod ad magnos non sit venturus honores,
Qui nescit duri ferre laboris onus.

Ardue

Ardua virtutis quoniam via ducit ad arcem,
Quae cogit longae tedia ferre morae.
Assiduis ergo studijs, multoq; labore
Est nobis verus conciliandus honos.
Nulli etenim spinas metuenti contigit unquam,
Ut fragrante rosae posset odore frui.
Nec quisquam hybleas spoliabit melle volucres
Si caueat fronti, & spicula vitet apum.
Armat spina rosas, & apes sua mella tuentur,
Pro quibus assidue fortia bella gerunt.
Sic etiam Sophiae scandenda cacumina, praebent
Angustos aditus, difficilemq; viam.
Experienda manent & multa ferenda volenti
Scandere tam celsi culmina summa iugi.
Insomnes rigido ducens in stramine noctes,
Sudorem, frigus, saepe, famemq; feret.
Quare delitijs quibus est seruire voluptas,
Ociaq; assidue perniciose sequi:
Hi nunquam Sophiae celsam florentis ad arcem
Suscipiunt tantae tanta pericla viae.
Aut bene susceptam, mox primo in limine fessi,
Ulterius nequeunt continuare viam.
Et reuocare gradus, patriumq; reuisere tectum
Malunt, consuetis delitijsq; frui,
Quam decus & laudem multo sudore parandam
Quaerere, & iccirco pauca molesta pati.
Sed quibus ardor inest animis, & honesta voluptas,
Pieriq; chori non simulatus amor,
Qui cupiunt etiam post vitima viuere fata,
Et notum doctis nomen habere viris:
Nullius hos unquam studij piget atq; laboris,
Aspera sed forti pectore cuncta ferunt.
Difficiles aditus, via longa, grauesq; labores,
Cum spinis vepres, & sinuosa iuga,

Non

Non vlla poterunt istos ratione mouere,
Mens quibus est studijs dedita tota sacris.
Non hos absterrent vlla asperitate, nec vnquam
Persuadent, cœptam deseruisse viam.
Ascensu donec superent altissima montis
Culmina, qui duplici surgit in astra iugo.
Heic tandem exoptata quies vbi parta, laboris
Victores, capiunt præmia digna sui.
Ipse docens facili conscribere carmina plectro,
Sanandi & doctas qui dat Apollo manus,
Excipit hospitio fessos, & membra quiete,
Accliui, reparat, debilitata via.
Diuina præbens lautissima fercula mense,
Et miscens lymphæ pocula Nectarea.
Deinde vbi pulsa fames, redolentes ducit in hortos,
Quos sacra Castali perfluit vnda lacus.
Qua lotos, templi mox in penetralia ducit,
Ingenijsq; sacram Numinis addit opem.
Illorum sanctis informat pectora dictis,
Pieriaq; animos imbuit arte rudes.
Monstrat item cytharæ quo tangant pollice chordas,
Et docet imparibus claudere verba modis.
Hinc tandem egressos, quauis & in arte peritos,
Et plenos sacro Numine Phœbe tuo,
Excipiunt Musæ, leto sua gaudia plausu
Testantes, varijs exhilarantq; modis.
Mox etiam titulis illos & honoribus aptis
Ornant, addentes laurea ferta comis.
HAEC sunt Dedaleæ gratissima dona Mineruæ,
Quæ tribuit doctis ingeniosa viris.
His ea muneribus ditat, commendat, & ornat,
Et facit æternæ laudis habere decus,
Quotquot ad Aonijs celsissima culmina montis
Difficilem fortes sustinuere viam.

Sic

*S*ic, mihi dilectos inter pars prima sodales
*V*RBA NE, ô fratris semper habende loco,
 Tu quoq₃ nulla vnquam es superatus mole laborum,
 Te non asperitas terruit vlla via.
 Non frigus glaciale, nec intolerabilis æstus,
 Te semel inceptum relinquere fecit iter.
 Sed vince s cunctos infracto corde labores.
 Et metuens longæ nulla pericla viæ,
 Sedulus Aonias studiisti inuisere sedes,
 Castalioq₃ tuam fonte leuare sitim.
 Vt tibi perpetuæ posses præconia famæ
 Quærere, & æternum conciliare decus.
 Nil veritus multas insomnes ducere noctes,
 Et potu & sapidis abstinuisse cibis.
 Aut etiam assiduis animum consumere curis,
 Munera captasti pallidus Aonidum.
 Donec speratam studioso pectore metam
 Attigeris, tibi nunc est vbi parta quies.
 Atq₃ tui compos voti, in penetrabile receptus
 Aedis Apollineæ, præmia digna feres.
 En sua Pierides testantur gaudia Musæ,
 Nectentes capiti laurea ferta tuo.
 Et ne vana ferant volucres tua vota procellæ,
 Aut opera in sterili sumpta sit omnis humo,
 Præmia pro tanto reddunt tibi digna labore,
 Dum faciunt, vt te publicus ornet honos.
 Ac nomen docti tribuunt insigne Magistri,
 Assidua partum sedulitate tua.
 Ecce tibi libris omnes gratantur apertis,
 Vt doceas alios, ius erit inde tibi.
 Et tua cœrulea cinguntur tempora mitra,
 E Cælo genitum te monet iste color.
 Additur & digitis gemma pretiosus & auro
 Annulus, hic dignum te docet esse gradu.

A 4 Secerniq₃

*Secerniq₃ notat te indocti à nomine vulgi,
 Et celebre à veris nomen habere bonis.*
G*ratulor ergo tibi, frater dilecte, Magistri
 Nomen, & hunc qui te iam nouus ornat honos.
 Gratulor assiduo tandem acquisita labore
 Quod tibi sint studij præmia digna tui.
 Præmia Dalmatico quæ sunt potiora Metallo,
 Et merito reliquis anteferenda bonis.
 Horrida quæ Scythici contemnunt frigora Ponti,
 Et fugiunt falcem, Mors truculenta, tuam.
 Nam perit argentum, rutilans consumitur aurum,
 Ingentesq₃ hominum diminuuntur opes.
 Sed quamuis pereant vrbes, & maxima regna,
 Quicquid & in pretio mobile vulgus habet:
 Sola tamen viuit, nec fata nouissima curat,
 Quæ fuit ingenij fama parata bonis.
 Hec immortalis, postq₃ vltima fata superstes,
 Durat in æternos non peritura dies.
 Ergo sibi ingentes studeat corradere gazas,
 Et sine fine leues querat auarus opes.
 Impiger extremos currat mercator ad Indos,
 Liber & à curis tempora nulla terat.
 Ingenuas alijs placeat contemnere Musas,
 Ociaq₃ assidue desidiosâ sequi.
 Te iuuat in studijs consumere dulcibus æuum,
 Atq₃ Heliconiadum dulcia castra sequi.
 Te non ebrietas, nec perniciofa voluptas
 Fallat, vt hæc studijs præposuisse velis.
 Nam nocet ebrietas, nocet emta dolore voluptas,
 Sola sed è studijs gloria parta, iuuat.
 Perge sacras igitur tractare fideliter artes,
 Duret & in longos impetus iste dies.
 Sis pius, & confide Deo, tua munia serua,
 Et qua cœpisti currere, perge via.*

Sic

*Sic Deus ipse tuis aderit conatibus, atq;
 Inuictum duro tempore robur erit.
 Non tibi diuitiae, virtutum praemia, deerunt,
 Sed semper magnas diues habebis opes.
 Sic aeterna tibi praecleara encomia fame,
 Et generi poteris conciliare tuo.
 Sic eris ornamentum ingens, decus atq; parentum,
 Sic eris & patriae gloria magna tuae.
HAEC VRBANE tibi paucis conscripta sub horis,
 Accipias animo non reuente, precor.
 Non ea Castalio quamuis sunt tineta liquore,
 Et nihil omnino dexteritatis habent,
 Qualiacunq; tamen, sint nostri pignus amoris,
 Et mihi te charum tempus in omne probent.
 Iamq; vale Pylios, dulcissime frater, in annos,
 Et sis CALLENI dum licet, oro, memor.*

EPIGRAMMA GRATULATORIVM.

DVM tibi confertur titulus nomeng; Magistri,
 VRBANE Aoni; dulcis alumne chori;
 Pierides tibi ferta ferunt, te Delius ipse
 Muneribus dignum, iudicat esse suis.
 Te sacrae merito Charites dignantur honore,
 Non Pallas votis est inimica tuis,
 Hec fauet ingenijs, haec excipit artibus auctos,
 Hec tribuit larga munera docta manu.
 Et nunc te facilis venerandi cura Decani,
 Officijs doctos prompta iuuare viros.
 Sistet ad hanc primùm veteri de more Cathedram,
 Vt doceas alios indicat iste locus:
 Siue legat sibi te Doctorem Ecclesia Christi,
 Ocia siue vocent puluerulent a schola.

A V Hinc

Hinc etiam sacri dat aperta volumina libri,
Hoc opus assidua sedulitate monet.
In vigili semper nobis statione manendum,
Dum sequimur Musas militiamq; togæ.
Quid pileus sibi vult Hiacynthi forma colorem
Purpurei, inflexi cuius & orbis habet?
Concordes animos hic poscit & integra corda,
Inuidiæ & litis non onerata malo,
Virtutis studium, & vitæ ornamenta modestæ,
Quæ penes haud fictæ sit pietatis amor.
Annulus & gemma multum preciosus & auro,
Libertate facit te meliore frui.
Non quæ barbaricos imitata licentia mores,
Sed quæ iusticiam cum probitate colit.
Quando nouo sponsam sibi iungit fœdere sponsus
Annulus amborum per solet ire manus:
Qui prestare fidem, qui mutua corda ligata,
Vnanimem vitam qui sine labe docet.
Sic tibi religio quasi desponsatur, & artes,
Sub patrocinium se retulere tuum.
Gratulor ergo tibi iam nunc tot honoribus aucto,
Et factis addo vota secunda tuis.
Iam tibi Parnassi sunt tacta cacumina montis,
Et tuus optato carcere sistit equus.
Iam sunt parta, diu vigili quesita labore,
Premia & ingenue nunc cumulantur opes,
Maçte tua virtute, bonis te pluribus effer,
Ingenij vires exere, victor eris.
Et velut est fului purissima massa metalli,
Sic studium puræ religionis ama.
Et desponsatas defendens gnauiter artes,
Eripe barbarico, qui premit vsq; situ.

HIERONYMVS RHVDENVS
Lunæburgensis.

EPIGRAMMA.

A D M. V R B A N V M H E R V V E G I V M
Spandauensem.


Prestat in humanis regina scientia rebus,
Hæc, fora, templa, scholas, oppida, castra, regit:
Ipsis præcipuum decus & cultoribus addit,
Ne rudis & doctus sint in honore pares.
Excitat ingenij stimulatrix gloria vires:
Fortior ad palme præmia currit equus.
Istius auspicio, nomenq, decusq, Magistri,
Sæptena cultor sedulus artis habes.
Sit felix opto, sit faustus, & utilis idem,
Qui tibi cum multo cedit honore, gradus.
Hæc sperata tui merces V R B A N E laboris,
Gloria, profectus testis & ipsa tui.

I O H A N N E S B V N T S C H E N I V S
Tangermundensis.

3693


AK





B.I.G.

Farbkarte #13



Carmina Gratulatoria
IN HONOREM PI-
ETATE, ERVDITIONE,
 ET MORVM INTEGRITATE PRAE-
 STANTIS, D: VRBANI HERVVEGII
 SPANDAVIENSIS, cum ei à Clarif-
 simo viro, M. MATTHAEO BLOC-
 HINGERO, Professore Publico, et
 Collegij Philosophici Decano, in-
 signia artium liberalium Ma-
 gistri, in inclyta Acade-
 mia VVitebergenfi
 decernerentur, 6.
 Id: Martij.
 1569.
 SCRIPTA AB AMICIS.



VITEBERGÆ
 Excudebat Iohannes Crato
 ANNO M. D. LXIX.

1914 5 288

Ye 3693

X2001667

Ye 3693
AK

R 1914. 2468

*Quarits inus in Hannover
 Gammigra Goslarensi anno
 suo singulari de Lamborg
 Calloniis in sui memoria.
 vort. 20. 59. 3 idg May*

